



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 2. Idem Vicarius a sacris functionibus Romæ suspensus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

venire jufferunt, ut per seipsum accusationibus responderet: re comperta Sebastenus Archipræsul Quesnellum impense rogabat, ut ei in concinnanda hac responsione auxiliares manus præberet. Nec suis partibus defuit Quesnellus, qui conductio suo calamo mox hujus Brevis confutationem Romam misit, ex qua postmodum confectæ sunt annotationes seu responsiones, quas Procurator Romæ typis Cameræ Apostolicæ edi ac distribui curavit: insuper etiam nullum non movit lapidem, ut præfatam Congregationem aut disturbaret, aut differri impetraret, fulmenque averteret: cum autem illa omnino immote denuntiaret, nisi Coddeus veniret, alium Vicarium suffectum iri, Procurator hanc Congregationis sententiam sua censura perstrinxit, edito hoc libello: *elegans Congregationis sententia directe Tridentino Sess. 13. cap. 6. de reformat. contraria.*

Sæc. XVII.

A. C. 1702.

§. II.

Coddeus Vicarius a Sacris functionibus Romæ suspensus.

Perspecta hac Patrum constantia Coddeus suggerente suo Procuratore apud S. Congregationem literis die vigesima sexta Octobris anno evoluti

Epist. Prot.

ad Quesn.

3. Octobr.

1699.

Sæc. XVII. sæculi nonagesimo nono datis, & apud
A. C. 1702. Daviam Bruxellensem Sedis Aposto-
 licæ Internuntium die vigesima nona
 ejusdem Mensis institit, ut sibi saltem
 liceret Romanum iter usque ad Au-
 tumnum sequentis anni differre, eo-
 quod (ut ipse scripserat) Missio Belgica
sat magna tum temporis gauderet tran-
quillitate, imo tam magna, ut dudum ma-
jori gavisa non fuisset: Obtinuit etiam
 Coddeus, ut usque ad Mensem Se-
 ptembrem iter suum differre valeret:
 Sperabat equidem Sebastenus, mortuo
 Innocentio novum Pontificem sibi ma-
 gis propitium fore: cum autem spe
 sua se delusum cerneret, suadente
 Quesnello, ejusque lucubrationibus in
 sui defensionem conscriptis munitus,
 comitantibus eum P. Delbecque Domi-
 nicano, & Kryfio, qui ob distractos Baij
 & Jansenii libros ex Rectoris mandato
 Lovanio secedere compulsus erat, an-
 no Christi millesimo septingentesimo
 iter Romam versus ingressus est. Bru-
 xellas transiens, studiose cum Gerbero-
 nio conferre recusabat, ut eo liberius
 coram Cardinalibus asserere posset, nul-
 lum sibi cum illo commercium esse.
 Igitur Sebastenus die undecima De-
 cembris Romam venit, a Clemente XI,
 summa humanitate habitus. Die vi-
 gesima ejusdem Mensis a Prælato Ruffo
 Pon-

Pontificii Cubiculi Magistro ad Pontificis alloquium adductus, singulari Benevolentia excipiebatur, spondente Papa, se effecturum, ut ejus causa quantocyus decideretur: parem gratiæ testificationem experiebatur Sebastenus die trigesima prima Januarii cum Papa collocutus, vehementer tamen verebatur, ne illum Papa ad subscribendum Alexandri VII. formulare adigeret. Habebantur Mense Martio hac in causa quinque Cardinalium Congregationes, in quibus Sebastenus ad proposita accusationum capita respondere jussus, ægerrime sese extricare poterat, ac mordente conscientia territus, ne vix quidem, quod responderet, paratum promptumque habebat, quocirca ut ejus verecundiæ parceretur, Congregationis Patres ad eum viginti accusationum capita transmisere, ut desuper scriptotenus responderet: Tandem vero Sebastenus Mense Novembri suas responsiones & declarationem, quæ prius Vaucellii limam transierat, paratas habebat, easque die decima septima ejusdem Mensis summo Pontifici tradebat. Die autem decima octava Decembris in Collegio de propaganda fide Congregatio decem Cardinalium habebatur, in qua responsa Sebasteni nuper post impigrum studium

Sæc. XVII.
A. C. 1702.

*Epist. ejusd.
ad Quesn.
die 19. Martii 1701.*

Sæc. XVII prælo submissa, necnon alia in quinque
 A. C. 1702. Congregationibus oretenus data ma-
 ture discussa fuere, in quibus Cardina-
 les manifeste deprehenderunt, Cod-
 deo firmum fixumque esse, præfatæ
 formulæ juxta Ecclesiæ mentem nun-
 quam subscribere: tandem vero die se-
 ptima Maij hoc anno præsentē ipso
 summo Pontifice prostrema habebatur
 Congregatio, ex cujus sententia una-
 nimi omnium suffragio sequens decre-
 tum, die vigesima secunda Junii Se-
 basteno tradebatur.

„Sanctitas sua de consilio hujusce
 „S. Congregationis Sebastenum ab omni
 „exercitio & administratione Vicaria-
 „tus Hollandiæ auctoritate Apostolica
 „suspendit, & in ejus locum D. Theo-
 „dorum de Cock Provicarium Apосто-
 „licum eadem auctoritate ad SS. &
 „Sedis Apostolicæ beneplacitum fecit,
 „constituit, & deputavit cum omnibus
 „& singulis facultatibus, privilegiis &
 „indultis Sebasteno ratione dicti Vica-
 „riatus alias a Sede Apostolica con-
 „cessis, & quomodolibet competentibus
 „iis exceptis, quæ Episcopalem requi-
 „runt ordinem, & signanter cum po-
 „testate instituendi, & destituendi, ubi
 „& quoties opportunum duxerit, alios
 „Provicarios. „

Per-

Percepta hac sententia Sebastenus **Sæc. XVII.**
 in simulata submissione pro more suo **A. C. 1701.**
 opem quærebat, ac summo Pontifici
 libellum supplicem offerebat, inter alia hæc addens: „Ceterum Beatissime
 „Pater, ut Orator suam erga S. Sedem
 „obedientiam magis magisque testatam
 „faciat, S. Vestræ declarat, quod si
 „ab ipso subscriptio Formularii Ale-
 „xandri VII. exigenda sit, paratus est
 „illud subscribere, & jurare, præfa-
 „tasque Propositiones sincere, atque
 „ex animo cum Apostolica Sede dam-
 „nare. Quod vero spectat ad librum
 „Jansenii, unde excerptæ dicuntur illæ
 „Propositiones, necnon sensum ab Au-
 „thore intentum, cujus mentio habe-
 „tur in Formulario, Orator inhærendo
 „doctrinæ traditæ ab Eminentissimis
 „C. C. Baronio, Bellarmino, Palavi-
 „cino, aliisque celeberrimis Theologis,
 „ubi agunt de similibus facti quæstioni-
 „bus ad sensum authorum spectantibus,
 „declarat subscriptionem suam ac jura-
 „mentum ita intelligi a se, ac præstari,
 „ut circa hujusmodi quæstiones in for-
 „mulario comprehensas fidem spondere
 „non intendat, sed eam tantum reve-
 „rentiam, & obedientiam, quæ circa
 „facta non revelata exigi potest.”

Firmabatur etiam Sebastenus a
 Quesnello in perverso suo puram &

Sæc. XVII. simplicem subscriptionem detrectandi
A. C. 1702. proposito, quod tamen Papam fallendi
 spe fretus, promissa & ad quæstionem
 juris restricta obedientia occultare ad-
 laborabat, eapropter ejusdem anni
 Mense Octobri rursus Sacræ Congre-
 gationi alium porrexit libellum suppli-
 cem, in quo profitebatur, *se paratum*
esse, si ita juberetur, formularium Ale-
xandri VII. subscribere ac jurare, juxta
præmissam in eodem supplice libello declara-
tionem de mente ac sensu tum subscriptionis
suae tum juramenti, cum ergo Cardina-
 les probe prospicerent, quod Coddeus
 verbis luderet, nec a suo proposito re-
 cedere vellet, Papa quoque ac Cardi-
 nales a sua sententia nil remittendum
 censebant.

§. III.

Tumultus Cleri Batavici contra hoc
Papæ decretum.

Epist. Vau- Quamprimum ea, quæ circa Seba-
cell. vd num Archiepiscopum Romæ con-
Quesn. tigerant, per ejusdem Procuratorem
1. Jul. 1702. in Hollandiam perscripta fuere, mox
Epist. Hus- illi, qui e Clero Batavico Quesnelli
sen. ad Gerb. partes tenebant, ad præpediendam Pon-
13. Jun. tificiæ sententiæ executionem nil op-
 portunius fore, communi consilio cen-
 sebant, quam ut novas in foederato
 Belgio